

MO MO
ILLVSTRISS. ATQ. EXCELLENTISS.
ALBERTO BADVARIO
SERENISS. REIP. VENETAE
apud Sistum V Pont. Max. Oratori
IACOBVS ZABARELLA S. P.



Es omnes, Alberte Excellentissime, quas mundi complectitur uniuersas, eo dispositæ inter se ordine conspiciuntur, ut maxime minimis non cohercant, sed summa ad infimas interuentu, & quasi ministerio aliarum, ut Plato dicebat in Symposio, vim suam actionemq. transmittant. Et Deus quidem Opt. Max. qui ob suam infinitatem incomprehensibilis nullo nec coerchetur, nec excluditur loco, omnia, quemadmodum de sole inquit Homerus, & audit, & inuictur, nos tamen & huiusmodi rerum ordinis, & nostre nobis humilitatis, atque indignitatis consensu cum maxime illum exoratum cupimus nostræ beatiss. mentibus vota commendamus, ut illarum interposito favore digniora quodammodo effecta faciliorem ad Deum aditum melioresq. exitus consequantur. Maximus supremusq. omnium in Ecclesiastica Christi Hierarchia Romanus Pontifex est: Sixtus vero qui nunc Pontificatum gerit iure optimo Maximus inter maximos existimatur, quippe qui ad ea, quæ summa in terris dignitatis propria sunt ornamenta, tot ac tanta ingenij, doctrinæ, pietatis, iustitiæ, prudentiæ, ceterarumq. omnium virtutum decora adiunxit, ut neminem vel recens hominum memoria, vel prisca litterarum monumenta commendent, in quo tanta cum Christiani nominis existimatione fulserit ad hunc diem Pontificia Maiestas. Huic ego meum Naturalium librorum volumen, rem scilicet minimam Principi maximo consecraui, & quando me cum ingrauescens ætas, tum publici muneris functio abesse hoc tempore a patria non permittunt, in Franciscum filium, qui isthic iam tertium annum sub viris optimis societatis Iesu philosophia, probisq. moribus imbutur, huiusce mei tradendi muneris prouinciam reclinaui, qui vero auferet adolefens humilis ad tanti Principis conspectum accedere, cuius dignitatē vel ipsi potentissimi Reges maxime reformidant? Erat igitur mihi prouidendum, ut patronus illi aliquis auctoritate, & beneficentia præcellens non deesset, cuius presidio fultus demandato sibi munere non inepte defungeretur. In te vero unum, Alberte Illustriss. omnem defixi statim animi cogitationē, nam quod pertinet ad auctoritatem, tu primum is es, qui ob eximium generis splendorem, singularem prudentiā, admirabilem dicendi vim, diuinam sapientiam apud omnes Christianos Principes, quos patris nomen Legatus amplissimus adisti, immortalē tibi gloriam comparasti; deinde, quod per commodum accidit, nunc eiusdem legationis munus apud Pont. Max. obis, ea dexterioris atq. eloquentis fama, ut qui ab illo te libentius audiatur, nullus omnino sit. Quod vero ad beneficentiam spectat animi voluntatem, tu quidem in nullum hominum genus non semper te ἐπεπερισσότατος ostendisti, in me vero quā prona sis beneuolentia, plurima, eaq. præclarissima restantur indicia, ex quo cum ego te in hac urbe egrægiæ philosophiæ studij operam dantem æquè amare, ac colere institui, tu inde me nunquam souere, atque ornare destitisti. Ad te igitur tamquam ad aditum aliquem, qui Francisco filio, ac muneri, qualecumq. est, meo augustissimi templi aditum patefaciat, fidenter confugio, orans, atque obsecrans te quo maiore possum studio, ut varique tanti numinis concilies beneuolentiam, qua in re & a te ipso, qui de me, meisq. cohonestandis semper cogitasti, minime discefferis, & in eam familiam immortalē beneficium contuleris, quæ cum pro Serenissima Venetorum Reip. uitam semper libentissime profuderit, præter ea quæ hæctenus accepit ornamenta, hæc quoque ab amplissimo eiusdem Reip. Senatore propensi animi significationem expectat. Vale. Patauy, Prædie Cal. Octobris M D LXXIX.